

Nf. 24.



106

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
CAROLVS GOTTLIEB
KNORRIVS,

POTENTISS. PRVSS. REGIS A CONSIL. AVL.
IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN.

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE,
SENIORE

ET

RELIQVO SENATV,

COMMENDANS

CHRISTI RESVRGENTIS
MEMORIAM PERPETVAM,

CIVIBVS ACADEMICIS

FERIAS PASCHALES

dgr

INDICIT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL



MNHMÓNETE 'IHCOTN XPICTON 'EGHTEPMÉNON 'EK
 NEKPŌN. RECORDARE IESVM CHRISTVM EX MORTVIVS
 EXCITATVM. Vnumquemque Vestrum, CIVES, cuius-
 cumque ille sit ordinis ac dignitatis, in quocumque stu-
 diorum genere versetur, & quocumque demum sit animi
 habitus, in hac solemnitate, quae memoriae resurgentis DOMINI no-
 stri a priscis illius cultoribus est consecrata, his Pauli verbis, quibus
 ille quondam Timotheum suum, (a) peramanter iure meritoque com-
 pellamus. Is enim praecipuus in religiosa horum dierum celebratio-
 ne finis constituendus esse videtur, ut omnes, qui a Christo nomen ge-
 runt, illius in vitam reditum, imo ipsum rediuum Servatorem suum,
 ita animo complectantur, ut eum totum, propter nos & mortuum &
 fuscitatum, suum quasi faciant, & deinde in perpetuam fiduciae in il-
 lo collocandae confirmationem immortali memoria summa haec ipsius
 beneficia retineant. Minime quidem isthoc omne ad paucos tantum-
 modo eosque festos dies adstrictum volumus. His ipsis tamen eum
 in modum utendum censemus, quo Iesu Christi a Deo in vitam reuocati
 memoria vel primum, vel denuo animo ita penitus infigatur, ut dein-
 de iucundissima benefactorum illius recordatione *festum* perpetuo
agamus: (b) quod etiam procul dubio commonefactione paterna Pau-
 lus a Timotheo suo requirit.

At perpendite, quaeso, quanti sit res momenti recordatio illa
 Christi e sepulcro redeuntis: dum non modo gentium doctor, isque
 fenex & Evangelii causa iterum in vincula coniectus, in isque extre-
 mum supplicium expectans, eam tam grauitur ac tanto cum adfectu
 commendat; sed etiam Timotheo commendat, qui illo tempore non
 adolescens fuit, aut qui haud ita pridem tirocinia in Christi doctrina
 posuisset, sed qui tum iam per duodeviginti circiter annos socius la-
 borum omnium & perperisionum, itinerumque Christi causa susce-
 ptorum comes fere indiuisus fuerat. Atque hunc praestantissimum
 virum & fidelissimum Christi seruum non dubitat hac de re monere:
 quasi istius non satis meminisset, vel facile eius obliuio capere illum
 posset. Licet vero neutrum metuendum videretur: Paulus tamen
 minime superfluum iudicabat, rem notissimam, & in qua non medio-
 criter exercitatum fuisse Timotheum, satis constat, ipsi denuo tanto
 verborum pondere, non suadendo, sed iubendo inculcare. Facit au-
 tem

(a) 2 Tim. II, 8.

(b) 1 Cor. V, 8.

tem hoc non alium in finem, (c) quam ut, animo illius pluribus argumentis antea confirmato, in omni calamitatum genere, quaecumque ipsi summi imperatoris *Christi Iesu militi bono* tolerandae essent, (d) facram ei ancoram, qua niti, imo portum ipsum ostendat, quo se recipere possit, ac diuino fretus auxilio tam fidenter agere, ut spretis rebus caducis, excusaque formidine omni & mollitie, aequae ac ipse Paulus, nec pericula, nec mortem ipsam extimescat, (e) ideoque ad se, quum euangelii causa id poscat, accedere minime dubitet: quo scilicet omnem epistolae orationem tendere, haud obscure hic ibi intelligitur. (f)

Quid igitur? Nosne illum, tot gentium magistrum fidum & veracem, non audiemus doctorem? Aut num nos ista admonitione non opus habere putabimus, quam is ipsi Timotheo suggerendam esse censuit? Nonne potius id ipsum satis nos edoceat, plus illam in recessu habere, & id in primis dispiciendum esse, qua ratione ita debeamus Christi in vitam reditus esse memores, ut finis illius omnis magis magisque a nobis etiam obtineatur? Nonne aequum est, imo vere dignum & iustum, ut videamus, qua ratione his praefertim diebus & deinde per omnem vitam de tanta causa non superficiarie, sed, ut grauitas illius poscit, & salutariter cogitare discamus? Agedum itaque, consideremus paulo caratius, non sciendi, sed agendi causa, quid hoc suo monito diuinus scriptor velit?

Et initio quidem nobis ob oculos ponamus illud, imo eum ipsum, cuius iste nos perpetuo meminisse vult. *IESVS CHRISTVS*, Dominus noster, promissus ille & secundum diuina promissa ex Dauidica familia prognatus Messias, & in Euangelio, quod praeco illius constitutus Paulus suum ex adfectu facit, per terrarum orbem proclamatus Seruator: is, is est, in quem animus noster, aequae ac Timothei, primo dirigi debet. Non iam *Mosis*, per quem *lex tradita est*, sed *Iesu Christi*, per quem *gratia & veritas contigit*, (g) meminisse debemus. Veteri populo dictum: *Recordamini legem serui mei Mosis*. (h) At nouo,

A 2

Recor-

(c) Quem GROTIVS his verbis non incommode expressit: *Nemirare etiam, si quid mihi grauius enemas. Mortuus est etiam Christus morte ignominiosa. Sed a Deo ad vitam gloriosam resuscitatus est. Idem & mihi eueniet, & tibi, si aduersis*

nihil territis in fide & professione perstiteris.

(d) v. 3.

(e) v. 10. 12.

(f) c. I, 4. c. III, 9, 21.

(g) Io I, 17.

(h) Mal. III, 4.

Recordare Iesum Christum: posteaquam de illo melioris testamenti spon-
 fore, cui Moyses locum lubens cedit, caelitus edixerat Pater: *Hunc as-
 dite.* (i) Is itaque, quem, *dum haec vox exstitit*, discipuli *viderunt so-
 lum*, (k) solus est, cuius ita meminisse debemus, ut omnium hominum
 & aliarum rerum omnium praeter ipsum prorsus quasi obliuiscamur.
 (l) Et sane non opera modo illius, aut beneficia, sed ipse, ipse
 in primis est, quem tamquam vnum seruatores nostrum animo com-
 plecti nos decet; exemplum primorum illius discipulorum in hac pa-
 schali laetitia sequentes, qui *viso Domino laetati sunt*, (m) quod illum,
 quem omnino amisum putabant, sibi redditum intelligerent.

Id vero non praetereundum esse videtur, quod memoria tenendus
 nobis hoc loco commendetur tamquam is, *QUI DAVIDIS SEMINE PRO-
 GNATUS SIT*: hoc est, *qui, cum sit super omnia Deus collaudandus in
 sempiternum, quod ad carnem attinet, sit ex patribus*, (n) homo homi-
 numque frater factus. (o) Qua eadem ratione & alio loco (p) Paulus
 nihil omnino detracturus diuinae maiestati, *hominem Iesum Christum* di-
 xit: sed *vt vnum DEI & hominum conciliatorem*, ipsum hominem, ideo-
 que hominum amantissimum, eorumque salutis cupidissimum doceret:
 Pariter ipse Christus post reditum in vitam, qua erat summa humanitate;
 ad Mariam Magdalenam: *Adi*, inquit, *fratres meos, eisque dicitur, ascen-
 surum me ad patrem meum & patrem vestrum, ad Deum meum & Deum
 vestrum.* (q) Licet itaque vnus idemque Christus, & vt verus Deus
 & vt verus homo, mente sit comprehendendus: inde tamen merito
 incipiendum est, vt eam tamquam hominem fratremque nostrum spe-
 ctemus; quo facto maiori erit solatio, eundem esse & fratrem & Deum
 nostrum, ideoque illum sese *carnis & sanguinis participem reddidisse*, vt
 nos *ex seruitute eius, qui mortis habebat imperium, sua morte redimeret* &
 liberaret. (r) Atque sic EVANGELIUM, ad quod tamquam SVM Paulus Ti-

mo-

(i) Matth. XVII, 5.

(k) v. 8. Luc. VIII, 36.

(l) Ies. XXXIII, 18. c. LXV, 17.

(m) Io. XX, 20.

(n) Rom. VIII, 5.

(o) CALOVIUS: Hoc isto tempore et-
 iam ob haereticos necessarium fuisse, ob-
 seruat CHRYSOSTOMVS. Ita enim
 tunc coeperant quidam mysterium diui-
 nae dispensationis euertere, magnitudi-

nem diuinae bonitatis pudori ducentes,
 ἐπαισχυόμενοι τῷ μεγέθει τῆς
 τῆ-Θεῶ Φιλανθρωπίας. Talia quip-
 pe in nos beneficia contulit DEVS, ut et
 homines DEO adplicare erubescerent,
 neque illum ad infirma nostra descendis-
 se crederent

(p) 1 Tim. II, 5.

(q) Io. XX, 17.

(r) Ebr. II, 14.

motheum remittit, praecipue quidem illum ipsum, adnuntiat, (s) nimirum, qui hominis natura induta in ea ipsa non modo dirisima pro nobis supplicia subierit, sed etiam illam ipsam euexerit ad Dei solium, (t) laboribus omnibus exantlatis. (u) Et ipse Christus, ne hominis naturam post mortem rediuius exuisse videretur, discipulis *manus atque pedes ostendit*: vt eum *carnem & ossa habere viderent*, quae *manibus etiam possent atrectari*. (x) Tanti scilicet nostra interest, vt recordemur non modo ipsum Dominum nostrum Iesum Christum: sed recordemur etiam nunc, posteaquam in caelos ascendit, tamquam eum, qui nostro sanguine nobis hominibus natus sit, (y) & in quo *Deus fideles Dauidi promissas benignitates*, aeterno nobiscum foedere pacto, praestiterit. (z)

Maxime tamen idem seruator noster & Timotheo & nobis etiam, hoc praesertim laetissimo tempore, a Paulo in memoriam reuocatur tamquam is, *qui ex mortuis excitatus est*. Non frustra mentio fit eius status, quo prius mortuis accensendus fuit, quam, eorum numero exemptus, vitae eique perenni restitui posset. Resurrectio nisi praecedente morte ne cogitari quidem potest. Attamen quia in ipsa Christi morte piaculari maximum salutis nostrae momentum positum est: ad eam simul cogitandam, non sine sermonis efficacia, remittitur. Hinc ipse Dominus Ioanni diuino splendore se conspiciendum praebens: *Ne metue*, inquit, *ego sum primus & ultimus, qui uiuo*; statimque addit, *fui mortuus & iam sum uiuus in perpetua saecula*. (a) Itaque & mors Christi, quam ille nostri causa subiit, gratisima his diebus memoria est recolenda. Sed cum illius meditatione suscitatio gloriosissima statim coniungatur, quae supplicium ignominiosum protinus est insecta: qua etiam, vt mortis & omnium hostium debellator fortissimus, *vindex noster postremus in arena constitit*, illis omnibus ante pedes eius prostratis. (b) Imo huc maxime tendit Pauli oratio, vt

A 3

eum

(s) 1 Cor. XV, 1. sqq.

(t) Ebr. XII, 2.

(u) GROTIUS: Non frustra istud *ἐκ σπέρματος Δαβὶδ* h. l. positum est. Nam si Dauid regno destinatus tanta mala perulit, si Iesus maiora, in quo omnia illa promissa Dauidis posteritati facta perfectissimum habebant implementum, quid mirare, si nobis talia eueniant? Rom. I, 3. Act. XIII, 23.

(x) Luc. XXIII, 39.

(y) CALOVIUS: *Additum hoc ἐκ σπέρματος Δαβὶδ etiam videtur ob eos, qui non eodem, sed diuerso corpore, quod ad substantiam resurrexisset Christum contendunt.*

(z) Ies. LV, 3. Ps. LXXXVIII, 2. 3. 1 Cor. I, 20.

(a) Apoc. I, 17. 18.

(b) Iob. XXVIII, 25.

eum non mortuum solum, sed multo magis etiam ex mortuis excitatum recordemur. *Vana enim esset fides nostra, si Christus non resurrexisset.* (c)

Neque vero, ubi Christi & mortem & suscitationem in memoriam reuocamus, ita hoc faciendum est, quasi de quouis alio homine ageretur: ut Lazaro, quem ipse paucis ante supplicium diebus & sepulcro prodire iusserat; vel alio quodam, quem siue mortuum esse, siue reuixisse, parum nostra interfit; vel alio denique, licet diuinissimo, aut nobis amicissimo viro, cui vitam redditam esse & nostra causa magnopere gaudeamus. Cogitandum potius, quae sit & mortis & resurrectionis Christi virtus: & qua ratione uti ipse, ita & utraque illa eius conditio cum omni fructu suo ad nos quam maxime pertineat.

Christus enim & mortem, morte scilicet sua, aboleuit; & reditu suo in vitam, vitam & immortalitatem collustravit per Euangelium: ut paulo ante noster grauissime testatus est. (d) Et alibi idem: *Iesus, ait, propter nostra delicta traditus est ad supplicium, & propter nostram iustitiam reuixit idem.* (e) Surrexit nimirum, ut victor peccati, mortis & orci potentissimus: qui paulo ante moriens, quo ipso tamen antiqui *serpentis caput contriuit,* (f) succubuisse prae summa infirmitate videbatur. *Fieri enim non potuit, ut a morte teneretur.* (g) Dum vero ex mortuis resurrexit, *definitus est filius DEI cum potentia:* (h) & ut ipse testis est, *rediuuius habet orci clauis atque mortis.* (i) Prodiit ex sepulcro tamquam iustitiae & vitae reparator & instaurator: qui suam vitam pro nostra recuperanda interposuit; & peccatum pro nobis effectus est, *ut nos in eo fieremus iustitia DEI.* (k) Surrexit ideo, ut sua morte DEO conciliatos a peccato, legis execratione ac morte vindicaret, & recuperatam iustitiam, vitam ac salutem ipse nobis fruendam exhiberet. *Si enim hostes cum essemus, conciliati sumus DEO per eius filii mortem, multo magis conciliati seruabimur per eius vitam.* (l) Dimissus est ex carcere vas noster, qui se pro nobis ad mortem dedit: idemque praes noster ac sponsor, qui pro nobis iudici patri satisdedit & liberationis pretium pro cunctis pretioso sanguine suo exsoluit. (m) *Deus ipse, iustissimus iudex, eum in vi-*

2177

(c) 1 Cor. XV, 14, 17.

(d) 2 Tim. I, 10.

(e) Rom. III, 25.

(f) Gen. III, 15.

(g) Act. II, 24.

(h) Rom. I, 4.

(i) Apoc. I, 18.

(k) 2 Cor. V, 21.

(l) Rom. V, 10.

(m) 1 Tim. II, 6. 1 Petr. I, 19.

eam reuocauit, leti doloribus quasi vinculis solutus: (n) eo ipso testatus, sibi pro debitoribus perfecte a sponfore esse satisfactum, atque se non aliter iam posse iudicare, quam, si vnus ille vas pro omnibus sit mortuus, ideo omnes esse mortuos, (o) ac peccato, tamquam debito suo, absolutor. (p) Excitatus est ex mortuis is, quem Pater dedit caput ecclesiae supra omnia: & cum quo eodem nos, quum delictis essemus mortui, eius mortis & resurrectionis similitudine inscitios factos, (q) per fiduciam, quae DEI donum est, (r) reuocauit eosdem nos in vitam, simulque suscitauit. Christus ex mortuis surrexit, & fuit eorum, qui obdormiuere, primus & primitiae: vt per illum aliquando omnes suo quisque ordine reuiuifcamus, (s) de quo certissimos nos reddit ipsius gloriosus ex morte ad vitam indisolubilem (t) transitus. Christus denique ideo & mortuus est & resurrexit ac reuixit: vt mortuis dominetur ac uiuus; & vt uiui non iam sibi ipsis uiuant, sed ei, qui pro eis & mortuus est & reuixit; quippe ad cuius tribunal omnibus aliquando comparandum est, (u) vnde ab eo siue ad haereditatem caelestis regni, tamquam ipsius cohaeredes, admittentur, siue audita sententia ad sempiterna tartari supplicia aalebantur.

Haec omnia si, vt dignum est, recte perpenderit: tum demum intelligemus, quid hoc sit, quando iubemur recordari Iesum Christum ex mortuis excitatum; quantae dignitatis & amplitudinis sit hoc argumentum, & quantum nostra referat, de illo sine intermissione cogitare.

Sed dispiciendum iam etiam porro videtur, qua ratione tantas res RECORDARI, hoc est, non quocumque modo memoria tenere, sed ita meminisse earum debeamus, vt scopo diuino in eo satisfiat & nobis ipsis id salutare esse possit. Non enim perinde id esse, & experientia satis comprobatur, & quilibet nobis etiam non monentibus facile intelligere potest.

Ante omnia requiri, vt ex Euangelii. audita nuntium aliquem de Iesu Christo & eius ex mortuis resurrectione acceperimus, vix opus est, vt moneatur. Non enim nisi eorum, quae antea nobis cognita fuerunt, meminisse possumus. Id autem magnopere inculcandum videtur, minime heic sufficere aliquam historiae de Christo notitiam,

(n) Act. II, 24.

(o) 2 Cor. V, 14.

(p) Rom. VI, 7.

(q) Eph. I, 22. 23. c. II, 5. 6. Rom. VI, 4.

(r) Eph. II, 8.

(s) Aetor. XXVI, 23. 1 Cor. XV, 20. 22. sqq.

(t) Ebr. VII, 16.

(u) Rom. XIII, 9. 10. 2 Cor. V, 10. 15.

fiduciam, siue ex auditu, siue ex sacrorum librorum lectione haustam: neque etiam ad sensum de rei veritate, verosimilitudine vel humana auctoritate innixum: imo ne imaginariam quidem aliquam & humanis viribus excitatam fiduciam, qua de Christo & mortuo & rediituro optima quaeque quis certo sperare sibi videtur. Diuina enim opus est virtute: qua non modo ex legis a Deo latae testimonio quisque prius agnoscat, quibus ob peccati reatum malis sit obnoxius, execrationi scilicet legis, tyrannidi Satanae, morti & damnationi ad sempiterna supplicia; sed cuius etiam viribus animus hoc legis fulmine exterritus per laetum de Christo seruatore nuntium eam fiduciam capiat, qua, vbi iam conclamatum esse videtur, ad illum, tamquam ad portum confugiat, in eoque solo omnem salutis spem collocet. Quae fiducia si genuina fuerit, vnum eundemque Dominum nostrum, eiusque mortem ac reditum in vitam, ea simul contemplantur & vt summum DEI donum, & vt exemplar nobis propositum, quod & moriendo & viuendo exprimamus: vt *donum* quidem, quatenus nobis in eo peccatorum omnium venia, aeterna iustitia ac vita solo illius merito ac virtute concessa sint; vt *exemplar* vero, secundum quod & *mori peccato*, & *viuere iustitiae*, (x) *morti* item *eius*, variis calamitatibus toleratis, *conformari atque sic cum ipso ad mortuorum suscitationem venire* (y) parati simus, *semper cum Paulo Domini Iesu occisionem in corpore circumferentes, vt etiam vita Iesu in nostro corpore repraesentetur.* (z) Fieri autem omnino non potest, quin, vbi isthoc modo Christus agnoscitur & vera fiducia apprehenditur, imago eius & cruci adfixi & resuscitati, in Euangelio nobis *ob oculos depicta*, (a) animo penitus infigatur: vt deinceps eum recordari possimus, idque ea ratione, quae nobis salutaris, Dominoque grata iudicari possit.

Atque tum praecipue qui fiducia & amore Christum contemplantur, sibi dictum putet illud *μνημόνευε, recordare, recordare Iesum Christum ex mortuis excitatum!* Et primo quidem quam maxime necessarium est, vt DEI Spiritu monitore nobis ipsi Dominum eiusque beneficia saepissime in memoriam reuocemus. Nam licet videri initio possit, nunquam a nobis haec obliuioni datum iri: ipsa tamen experientia quemuis edocebit, quam lubrica sit, in his fideliter seruandis, fidesima alioqui memoria; & quam facile nobis aliorum negotiorum varietate distractis ista elabi patiatur, quae ei antea perpetuo ob-

ver-

(x) 1 Petr. II, 24.
 (y) Phil. III, 10. 31.

(z) 2 Cor. III, 10.
 (a) Gal. III, 1.

versabantur. Quare initio vi quasi aliqua compellendus est animus, vt studio adhibito cogitet Christum, cogitet eius mortem, cogitet illius resurrectionem, cogitet denique bona illa, quae inde in nos redundarunt. Atque ista memoriae exercitatio eo vsque constantissime protrahenda certe est, donec in sanctam eamque simul iucundissimam consuetudinem abeat: vt surgentes & cubitum euntes, laborantes, quiescentes, edentes, bibentes, domi vel foris versantes, siue soli, siue cum aliis simus, laetis rebus & tristibus, vigilantes, dormientes, viuentes, morientes Christum adsiue cogitemus; paucis, vt, quod LUTHERI versio indicat, *memoria illum adeo firmiter comprehensum teneamus, vt nullo vnquam tempore siue ipse, siue eius beneficia obliuione contrahantur, sed licet forte actu ipso non quouis momento de eo cogitare liceat, protinus tamen dulcissima eius recordatio recurrat, quam primum vel tantisper ex ordinariis negotiis ad nos redire possumus.*

Accedat vero necesse est ipse etiam desiderii, fiduciae & amoris erga optimum Seruatorem adfectus perpetuus: sine quo eius meminsse tantumdem valet, ac si illum omnino non recordaremur; etiamsi non cogitatione solum, sed & ore a nobis omni tempore circumferretur. Imo vere dici potest, exemplo primorum Christi discipulorum id satis probante, Christi ex mortuis excitati recordationem magis consistere in adfectu, quam in cogitatione: quemadmodum magnus CHEMNITIVS *Theologiam omnem magis consistere in adfectu, quam in cognitione, grauius pronuntiauit.* (b) Et profecto non tantummodo pio hoc adfectu finem salutarem haud dubie consequi possumus, sed eodem etiam, facillime obtinebimus, vt ad ipsum Dominum nostrum Iesum Christum quasi alis additis animus noster euolet & apud ipsum perpetuo maneat. Id enim, quod desideramus, quod amamus, & in quo fiduciam collocamus, natura ipsa duce libenter cogitamus; multo magis vero, vbi Christi Spiritu pius hic erga illum adfectus in animo excitatur & fouetur, is ipse efficiet, vt *ibi sit animus, vbi est thesaurus noster.* (c) Loquimur vero de adfectu non tam eo, qui vehementi animi commotione se prodat: sed potius eum intelligimus, quo, *propter cognitionis Christi Iesu, Domini nostri, praesentiam, omnia damnata esse putamus, eaque pro stercore habemus, vt ipsum lucremur.* (d) Loquimur de illo *fiduciae spiritu: quo praediti credimus, ideoque non modo loquimur, sed etiam cogitamus Christum rediuuum; scientes futurum esse, vt, qui Dominum Iesum suscitauit, idem nos quoque per*

(b) Hypomnem. de vsu Locc. Theoll. §. VIII.

(c) Matth. VI, 21.
(d) Phil. III, 8.

Christi-

Christum fuscitet. (e) Quam etiam diuinam spiritus fidei dotem, sicubi forte intermori coeperit, *fuscitari* fas est, ac velut carbones fauilla te-
tos sufflando denuo inflammari. (f)

Vbi vero auditu & meditatione adfida Euangelii, piisque colloquiis, precibus ac hymnis simul adhibitis, iam quasi viget recora-
tio Christi ex mortuis excitati: exercenda illa quoque est per om-
nem vitam nostram ita, vt non modo ea tamquam clypeo in omni,
quod subeundum est, certamine vtamur, verum etiam, vt antea dixi-
mus, ad illam tamquam ad sacram ancoram & portum ipsum in sum-
mi discriminis procella ac tempestate confugiamus. Si consequuti
vere peccatorum veniam, illorum memoria animum denuo perturbari
sentimus; aut si fiduciae nostrae cum dubitatione ac ipsa despera-
tione ex sensu irae diuinæ, siue criminibus olim commissis, siue no-
vis erroribus, in quos per imprudentiam vel incuriam incidimus, pro-
vocatae decertandum est: tum tempus esse putemus, vt dicto obe-
dientes Paulo recordemur *Iesum Christum, qui excitatus est ex mortuis
propter iustitiam nostram;* (g) & quem Pater gloria donauit, vt sit no-
stra fides & spes in DEO collocata. (h) Si a tyrannide diaboli iugo-
que peccati per illum Dominum ac Deum nostrum liberati, denuo
cupiditatum siue illecebris tentamur, siue importunis stimulis vige-
mur: meminerimus, *Christum ex mortuis excitatum non iam moriturum,
non iam morti esse obnoxium, vt nos ipsos etiam existimemus mortuos esse
peccato, sed viuos DEO per Iesum Christum, Dominum nostrum; ne re-
gnet porro peccatum in mortali corpore nostro, ita, vt peccato in corporis
cupiditatibus pareamus; nec dominetur nobis peccatum, quippe quum non
sub lege simus, sed sub gratia.* (i) Si sanctimoniam, sine qua nemo vide-
bit Dominum, persequi velimus: (k) cogitemus ideo Christum ex mor-
tuis in paterna gloria surrexisse, vt & nos in nouitate vitae gradiamur; (l)
& nos peremptos esse legi per Christi corpus, ita, vt in ius alterius mariti
transierimus, eius, qui ex mortuis excitatus est; vt fructum seruamus
DEO, (m) siue, si Catecheseos nostrae verbis eandem rem exprimere
vouerimus, vt nos simus totus ipseus Christi, & in regno eius sub ipso vi-
uamus, ac ei seruiamus in perpetua iustitia, innocentia & beatitudine, per-
inde ac ipse a morte surrexit. Si porro siue Christi ipseus causa, siue
ipsum saltem ducem nostrum sequentes, variis calamitatum turbinibus
exagi-

(e) 2 Cor. III, 13, 14.

(f) 2 Tim. I, 6.

(g) Rom. VIII, 29.

(h) 2 Petr. I, 21.

(i) Rom. VI, 9, 10. II. 12, 14.

(k) 1 Cor. XII, 14.

(l) Rom. VI, 4.

(m) Cap. VII, 4.

exagitatur; *si premimur extrinsecus praeliis, intrinsecus timoribus, (n)*
si vexamur & deiicimur, (o) ipsis etiam igneis Satanae telis (p) ex cruciati:
tum, tum maxime nos exerceamus, quo firmissime in memoria reti-
neamus Iesum Christum ex mortuis excitatum, nec vlla vi eam cogita-
tionem ex animo nostro euelli patiamur. Imo vt patienter decurre-
re possimus *propositum nobis certamen* per omnem vitae nostrae cur-
sum: spectemus perpetuo *in fidei duce[m] perfectoremque Iesum, qui pro*
laetitia sibi proposita sustinuit contento pudore crucem, & ad dexteram
solii DEI, postquam in vitam redierat, *consedit.* (q)

Et profecto, vt in omnibus his casibus vitae nostrae Iesum Chri-
stum recordemur, in eoque praesidium omne quaerere discamus: non
modo crebrioribus admonitionibus opus habemus, sed assidua quo-
que exercitatione; qua non tantum nos ipsos de Christo cogitare ad-
fuefaciamus, sed etiam magis magisque idonei reddamur, qui illa recor-
datione secundis & aduersis rebus recte vti possimus. Ita ipso certe
vfu experiemur, dummodo rem spiritu fiduciae praediti in summa et-
iam animi infirmitate adgrediamur, non solum facile reddi, quod initio
difficillimum videbatur, nunquam non Iesum Christum ex mortuis
excitatum in animo habere, sed id quoque fructum prorsus eximium
adferre. Atque hoc pacto & nos exoptatum illum finem, cuius causa
ea res Timotheo tantopere commendata fuit, sumus consequuturi.

Quis vero est ille finis? quis fructus ex Christi memoria per-
enni nobis est expectandus? Primo quidem huius beneficio Spiritus
Christi efficiet, vt magis magisque cum ipso capite nostro coalescamus,
eoque maiori fiducia ipsum, & quae illius sunt omnia, nostra faciamus,
ac proinde certissimi esse possimus de peccatorum venia, de pace cum
Deo ac aeterna salute. Deinde ex illa communitate rerum omnium &
exemplo Christi fiducia ac spes nostra ita confirmabitur, vt metu ac mol-
litie superatis, fortitudinem & fidem immotam praestare, & omne cer-
tamen sustinere valeamus, *aduersa etiam strenue patientes vt boni Iesu*
Christi milites. (r) Denique certa victoria, certus triumphus de qui-
busuis hostibus ac malis, imo morte ipsa ac tartaro, nobis paratus est, post
quem triumphum *sedebimus cum Christo in eius solio, (s)* & *regnabimus*
in omnia saecula. (t)

Si ex sola hac Pauli ad Timotheum epistola illustrare velimus
eximium omnino fructum, quem ex perpetua Christi excitati a mortuis

B 2

recor-

(n) 2 Cor. VII, 5.

(q) Ebr. XII, 1. 2.

(s) Apoc. III, 21.

(o) Cap. III, 8. 9.

(r) 2 Tim. II, 3.

(t) Cap. XXII, 5.

(p) Eph. VI, 16.

recordatione sumus reportaturi: satis inde patere potest, quantam fiducia, quam inuisum in aduersis animi robur, quam certam aeternae salutis spem, qua eius possessionem mente iam praecipimus, ex illa ipsa consequamur. Memores enim Christi, qui & mortem aboleuit, & vitam atque immortalitatem collustrauit per Euangelium, (u) dicere possumus cum Apostolo: Non dedit nobis Deus timiditatis spiritum, sed fortitudinis & caritatis ac moderationis. (x) Scio, cui crediderim: & persuasum habeo, eum posse meum depositum custodire ad illam diem. (y) Propterea aduersa fero usque ad vincula, sed me non pudet. Certa enim res est: si simul mortui sumus, simul etiam uiuemus; si una toleramus, etiam una regnabimus. (z) Firmum fundamentum DEI stat hoc habens sigillum: Nouit Dominus, qui sint sui: itaque recedat ab iniustitia, quisquis nominat Christi nomen. (a) Tandem etiam suo tempore addeamus: Praclarum certamen, Christum animo complexus, certavi, cursum absolui, fidem seruauit; quod superest, reseruatur mihi iustitiae corona, quam mihi Dominus reddet in illa die, iustus iudex; neque solum mihi, sed etiam omnibus, qui eius aduentum amauerint. (b)

Agite itaque, CIVES, Vobis dictum omnes ac singuli putetis; ad se etiam vnusquisque pertinere credat istud: Recordare Iesum Christum excitatum ex mortuis. Agitur hunc in finem etiam nunc anniuersaria solemnitas memoriae resurrectionis Christi dedicata: cui beneficio recolendo praerit hanc prisci Christi discipuli quotidie antelucanos conuentus & primum quemque hebdomadis diem, qui inde dominicus vocatus est, consecrarunt; quo ipso satis declarauerunt, & quanti illud fecerint, & quam solliciti fuerint, ne vnquam ex animo suo discederet illius memoria. Et optandum sane est, vt quauis ratione obuiam eatur obliuioni, & pia eiusmodi consuetudo, qua Christi e sepulcro reditum commemorando saepissime renouemus, eodem studio adhibeatur. Cauendum tamen omnino, ne res in superstitionem abeat, si seruato cum aliis more celebrandorum siue anniuersariorum, siue per hebdomadam vices, siue quouis mane redeuntium temporum Christo resurgenti factorum, officio nostro satisfecisse nos existimemus. Eo potius omnia haec sunt conuertenda, vt serio meditemur virtutem & efficaciam resurrectionis Christi: & quo pacto nostra intersit, eam sic agnoscere, ne perhorrescere cum eius hostibus, sed vt gaudere vere posimus cum primis illius discipulis, ac deinde in societatem eius venientes continuas ferias agere, memoria illius nunquam apud nos intermoriante.

(u) 2 Tim. I. 10.

(x) v. 7.

(y) v. 12.

(z) c. II, 9-12.

(a) v. 19.

(b) c. III, 7-8.

Qui;

Quicumque igitur animo Vestro longe adhuc a Christo abestis,
 & vix vnquam de illo cogitatis: recordamini, quaesumus, eum ideò
 a DEO esse ex mortuis in vitam reuocatum, quia ille statuit diem, in quo
 orbem ex aequo iudicaturus est per illum, viuentium ac mortuorum iu-
 dicem constitutum. (c) Sed memineritis eo magis, Deum, qui ne vllum
 quidem perire vult, propterea etiam fuscitasse filium suum, vt donum
 respiciendi & veniam peccatorum omnibus conciliaret; (d) quo ita Vos
 aeternum beatos reddat, si a suis quisque vitiis desieritis. (e) *Quam-*
obrem ad sanitatem reuertimini, & Vos corrigite: vt deleantur peccata
Vestra, adeoque & Vobis aliquando veniant a Domino recreationis tem-
pora, cum praenuntiatum Vobis Iesum Christum mitter. (f) Osculamini
 autem in tempore DEI filium, ne si indignetur, Vestras res, imo Vos
 ipsos perdat, illius ira proxime incensa; cui felices, quicumque confi-
 dunt. (g) *Expergiscere, quicumque dormis; & surge ex mortuis: & ti-*
bi etiam Christus, sol iustitiae, adfulgebit. (h)

*Nam vox ab alto culmine
 Christi docentis praemonet,
 Adesse iam lucem prope,
 Ne mens sopori seruiat:
 Ne somnus vsque ad terminos
 Vitae socordis opprimat
 Pectus sepultum crimine,*

ET LUCIS OBLITVM SVAE. (i)

Vestra faciatis igitur quisque illa antiquorum Christianorum verba, (k)
 iisdem vos mutuo in hunc modum excitantes:

*Iesum ciamus vocibus,
 Flentes, precantes, sobrii;
 Intenta supplicatio
 Dormire cor mundum vetat.
 Sat conuolutis artubus
 SENSVM PROFVNDIA OBLIVIO
 PRESSIT, GRAVAUIT, OBRVIT
 Vanis vagantem somniis.
 Sunt nempe falsa & friuola
 Quae mundiali gloria,*

B 3

Cew

(c) Act. XVII, 31.

(d) c. V, 31.

(e) c. III, 26.

(f) v. 19, 20.

(g) Ps. II, 12.

(h) Eph. V, 14.

(i) PRVDENT. Cathem. Hymn. L.

(k) Ex eod. hymno PRVDENT.

*Ceu dormientes egimus:
Vigilemus! hic est veritas,
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quaecumque nos inflant mala,
Fit mane! nil sunt omnia.
Tu, Christe, somnum dissiice,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu solue peccatum vetus,
Nouumque lumen ingere.*

Atque sic, continuatis his precibus, omnino fiet, vt Ipsi ex morte, quae Vos huc vsque constrictos tenuit, in vitam reducti, recte ac salutariter, immo summa animi voluptate recordaturi in posterum sitis Christum a mortuis excitatum, qui Vobis vitae & salutis auctor exiit.

Vos porro, qui peccata serio doletis, culpamque Vestram lugetis, mementote, quaesumus, Christum resurrexisse, qui propter delicta Vestra morti datus est, propter Vestram iustitiam fuscitatus, suaque iustitia Vos impertire paratissimus. Id vnum, agite, animo Vestro his diebus adfide studete repraesentare. Quo facto pulsa omni tristitia laetabimini illum viuere, qui victa morte Vobis vitam attulit & immortalitatem, animorum aequae ac sonorum concentu alterna carmina cum praeis Christi cultoribus modulantes: (1)

*Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.
Inde est, quod omnes credimus*

*Christum redisse ex inferis.
Tunc mortis oppresus rigor,
Tunc lex subacta est tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coegit cedere.*

*Iam iam quiescant improba,
Iam culpa furua obdormiat,
Iam noxe letalis sum
Perpeffa somnum marceat.*

*Vigil vicissim spiritus
Quodcumque restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.*

(1) Ex eodem hymno.



Vos autem, qui Christum vera fiducia complexi, beneficia, quae ex illius resurrectione in Vos redundarunt, grato animo agnoscentes, eum haud fucato amore diligitis: id vnum Vobis negotii datum his diebus festis existimate, vt concionibus sacris, hymnis, meditationibus, mutuis colloquiis, quibus pium adfectum maxime inflammari posse iam ante monuimus, optimi Seruatoris, Vestro bono rediuiui, memoria ita apud Vos renouetur, vt eum magis, quam adhuc vnquam factum est, digno honore adficiaris, incipientes Vos ipsos in ea arte exercere, vt nil nisi ipsum cogitetis & recordatio illius in consuetudinem abeat cum puro adfectu coniunctam. Quod vt eo felicius succedat, BERNHARDI in primis hymnum *de dulcissima Iesu memoria* Vobis meditandum commendamus, Germanico etiam carmine plus vno expressum. At nullus hic locus sit otiosis cogitationibus, quibus vana imaginatione delectemur. Quin potius certemus *praeclarum fidei certamen: vitam prehendamus sempiternam, ad quam vocati sumus.* (m) Et ne *defatigati animos despondeamus, si vel ad sanguinem usque resistendum est aduersus peccatum decertantibus,* (n) *sive exterior etiam homo noster corrumpatur:* (o) recordemur Iesum Christum ex mortuis excitatum, vt per eum nobis etiam partam esse victoriam certam nunquam obliuiscamur, adeoque *in omnibus exsuperemus per illum, qui nos adamauit;* certi, quod *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimia, neque demissa, nec vlla alia rerum natura possit nos ab amore DEI diuellere, qui amor est in Iesu Christo, Domino nostro,* (p) resurrectione aequae ac morte illius apertissime declaratus. Ita profecto experiemur, quae sit virtus reditus Christi in vitam, & eius memoriae in vincendis accusationibus peccati, legis malique genii; in superandis terroribus mortis & damnationis ad sempiterna supplicia; in conculcandis cupiditatum illecebris, & maxime, quod data opera repetimus, in eiicienda omni timiditate ac profliganda mollitie, aduersa tolerare reformidante: & quae contra sit eiusdem recordationis efficacia ad confirmandam nobis peccatorum omnium veniam; ad supeditandas vires, quibus citato cursu sanctimoniam persequi valeamus; ad animum nobis addendum, mala quaeuis Christi causa non modo patienter subeundi, sed etiam de iis laetandi, (q) & nomen ipsius sub dirisimis adeo cruciatibus ad mortem vsque, vt qui de

meli-

(m) 1 Tim. VI, 12.
 (n) Ebr. XII, 3. 4.
 (o) 2 Cor. III, 16.

(p) Rom. VIII, 36-39.
 (q) Act. V, 41. 2 Cor. XII, 10.

in meliore vita certi sumus, profitendi atque celebrandi, exclamandique cum Paulo: *Vbi tuus, o mors, stimulus? vbi tua, orce, victoria? Est mortis stimulus peccatum, & peccati potentia lex. Sed Deo gratia, qui nobis victoriam dat per Dominum nostrum Iesum Christum.* (r)

Atque sic tandem exfultet atque triumphet nostra etiam oratio iis verbis, quibus olim B. Martyr ROMANVS in ipsis suppliciis Christum, Dominum nostrum, post fata rediuium collaudauit, (s) laetique cum illo canamus:

*Regem perennem Rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet: nam fons retro
Exordiorum est, & dierum & temporum,
Ex Patre Christus: hoc Pater, quod Filius.*

*Hic se videndum praestitit mortalibus;
Mortale corpus sumsit immortalitas,
Vt dum caducum portat aeternus Deus
Transire nostrum posset ad caelestia.
Homo est peremptus, & resurrexit Deus.*

*Congressa mors est membra gestanti Deo:
Dum nostra tentat, cecidit immortalibus.
Stultum putatis hoc sophistae saeculi:
Sed stulta mundi summus elegit Pater;
Vt stultus esset saeculi, prudens Dei.*

*Hinc nos & ipsum non perire credimus
Corpus, sepulcro quod vorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus cruci
Secum excitatum vexit ad solium Patris,
Viamque cunctis ad resurgendum dedit.*

*Crux illa nostra est, nos patibulum adscendimus.
Nobis peremptus est Christus, & nobis Deus
Christus reuersus, ipse qui moriens homo est:
Natura duplex moritur & mortem domat;
Reditque in illud, quod perire nesciat.*

(r) 1 Cor. XV, 55-57.

(s) PRUDENT. Peristeph. Hymn. X.

P.P. ip[s]is feriis paschalibus A. MDCCCXXXVII.





Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687



St

FVCA







106

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
CAROLVS GOTTLIEB
KNORRIVS,

POTENTISS. PRVSS. REGIS A CONSIL. AVL.
IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN.

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE,
SENIORE
ET

RELIQVO SENATV,

COMMENDANS

CHRISTI RESVRGENTIS
MEMORIAM PERPETVAM,

CIVIBVS ACADEMICIS

FERIAS PASCHALES

INDICIT.

dgs

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL

